



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in  
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,  
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab  
eodem legato|| ...**

**Hadrian <VI., Papst>**

**Noremburgæ, 1523**

**VD16 K 320**

31 Vt Personae Ecclesiasticae Ob perpetrata maleficia co[m]meritam  
nullam luant pœnam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)



VT PERSONAE ECCLESIASTICAE OB

31 Item quicumque ecclesiasticos recipit ordines, maiores seu  
minores, per hoc omnium poenarum magistratum saecularium, utcumque magna perpetret maleficia, immunis esse contentendit. Neque hoc ita ordinati temere praesumunt, quod ab ecclesiasticis summam conditionis statibus in peccandi hac licentia manuteneantur. Saepenumero enim compertum est, ut quum ita consecratis praesertim sacerdotibus, per iura canonica legitimum vxores sint interdictae, quod dehinc pudicitiam matronarum, virginum, laicorum, scilicet vxorum, filiarum, fororumque attentant, ac noctu interdium sollicitant. Efficiunt quoque per assiduam ac indefessum laborem, partim muneribus, donis ac blanditijs, ut complures honestae alioqui virgines & matrones, partim etiam in secretis, quas vocant, Confessionibus; id quod euentu ipso compertum est, diuturna opera labefactentur, ad peccata, offendiculaque commoueantur. Nec raro etiam euenit, ut in vxores ac filias, maritis patribusque detineant, & remorentur, minantes interim, gladio, aqua, igniue, ut viros repetitas vxores, atque tantorum malorum segetem ex libidine insana contrahunt, mirum quid latrocinijs, homicidijs, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudenda numismata, ac mille scelerum formis, interim contra diuina humanaque iura omnia non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrime ac impune quotidie committant. Nempe immunitate ac peccandi sua licentia, quam ex priuilegijs canonum sibi vsurparunt, in hoc freti. Cum enim & semel compertum habent, licere eis impune quicquid libuerit, tum nedum magistratibus civilibus, sed & suis episcopis ac superioribus medium ostendunt unguem, quodcumque illi vel iubeant, vel vetent. Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foueantur, praeter omnem aequitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne ma-



Malefactores hos publice criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea per quod rarissimum uncti illi malefactores merita plecentur poena. Adhuc adstringuntur, obliganturque Episcopi per sua Capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam iura, poenis utcumque leuibus, punire, affligereque non audeant. Quae res tota eo spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac Ecclesiasticos, similitates, dissidia, atque odia plus quam Vatiniana oriantur.

Illud quoque non mediocriter timendum est, ut si personae ecclesiasticae, iam dicti oneris, aliorumque maleficiorum causa, quae quotidie perpetrare pergunt, non equa iura, iudices equos, paresque poenas habeant, quod eorum vita offendiculosa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos ecclesiasticos, sed & contra magistratus, ac superiores omnes, quod impunita sinant maleficia tam notoria, commotura, excitaturaque sint. 32

Quapropter necessitas, equitasque ipsa sibi postulant, ut ecclesiasticarum personarum praedicta praesumpta priuilegia abrogentur, aboleantur, e medio tollanturque, ac illarum gratia finaliter sanciantur, caueatur, ac statuatur, quod ordinati in maioribus vel minoribus constituti, vna cum personis laicis, equa habeant iura, eque iudices, paresque poenas: ita quod ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam praetendere possint praerogatiuam, immunitatemue, sed ut quisque delinquentium ecclesiasticorum, sub quo deliquit iudice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram, non secus atque alij malefactores, poena a iure communi imperij imposita delicto, commensurataque, plecti, puniri, & affici possit atque debeat. Id quod vere ecclesiasticis, hoc est patribus & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc ledi ius eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantum ecc.